



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Hæreticus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

Sane si quis Aegyptiorum more elementorum concordiam indicare voluerit, non imperite picturam eam proponet, quam ipse rerum opifex per animalia per id pra se ferentia consideranda proposuit, Lutram scilicet, vel ejus loco marinum Vitulum, Struthiocamelum, & hominem, uno vinculo religatos. Lutra siquidem, & Vitulus marinus, media sunt animalia inter terrestria & aquatica, vinculumque illud ostendunt, quo terra applicita sunt aqua, suisque coercentur finibus: quia Divina providentia cum arenam terminum maris posuisset, leges etiam imposuit aquis, ne fines transgredierentur suos. Struthiocamelus autem ambiguus est inter terrestria & aëria: vere enim volucris non est, quæ nequaquam à terra, ut volucris, attolli potest: pennæ autem alæque illi ob id tantum à natura datae, ut cursum adjuvert. Crura vero uti dictum, bovillæ propemodum, unguulasque bifidas habet. Denique inter elementa omnia, & cælum ipsum, homo intermedius est constitutus. Ita per hujusmodi picturam tota ipsa rerum machina describitur.



## MULTIVOLUS. CAP. V.

Divinæ literæ Struthiocamelum pro multivolo homine, & certi nihil sibi adficiente ponunt, videlicet qui sacra adscriptus militiæ, profanis tamen negotiis implicetur, iisque tantum tractandis occupetur. Nam quod alatum est, contemplationem refert & exscribit, sed propter vasti corporis magnitudinem tollere se humo nequit, aliis tamen, uti dicebamus, ad cursum utitur. Quod pedes bovillos habet, terræque semper adhærescit, quæ terræ sunt significata suscipit: ita enim videtur Hefychius interpretari. Quod vero ad animalis hujus ingreditur, tamen volare nequit, perniciosissime tamen currit. Struthiocamelos ait Xenophon, quos apud Euphratem Cyri milites offenderunt, à nemine capi potuisse: tam longe enim modo pedum pernecitate, modo alarum quasi velificatione procurebant, ut statim equites desperata præda insequi desisterent.

Plin. lib. 10.  
c. 1.

## HÆRETICUS. CAP. VI.

Quod vero superius diximus ex Hefychio, Eucherius quoque per animal hujusmodi hæreticum hominem significari tradit: qui habere quasi videtur sapientiæ pennas, volare tamen non potest.

## HYPOCRITA. CAP. VII.

Eucherius idem ait de hypocritis dictum ab Elaia: *Erit cubile draconum, & pascua Struthionum.* Parit siquidem ova Struthio, verum, ut a sibi diximus, neque illa incubatu fovet, neque pullos nutrit. Ita hypocrita, quamvis recte alios admoneat, & recte faciendi vim addoceat, nullos tamen filios per illum bene actæ vitæ exemplum generat. Hinc Jobes clamat: *Struthio in terra reliquit ova sua, & obliviscitur, quod per ea sit conculcaturus,*

Esa. 534.

## INSIPIENTIA. CAP. VIII.

Ad hæc, uti paulo ante dicebamus, genuina illa animalis stoliditas effecit ut imago Struthionis acaput intra frutices abscondentis, insipientiæ hieroglyphicum haberetur: utpote, qui cum avium sit grandissima, ita ut altitudinem equitis equo insidentis excedat, si tamen colla tantum frutice occultaverit, latere se totam existimet, cum reliqua magna admodum corporis moles in aperto relinquatur. Ita dum in capite secunda est, diceret Tertullianus, nuda, quia major est, cum capite capitur. Diodorus tamen id à Struthiocamelo, non ex stupore fieri contendit: sed quia sibi conscius habere se caput admodum debile, occultare id quamprimum studeat.

Plin. lib. 10.